

fundationibus consulendi liberaliter uti velint; propensa vero Regis voluntas nos dubitare non sinit, quod protectionem funda-

CONCORDATUM GALLICUM.

ARTICULUS EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

SUMMARIUM.

1. Pragmatica Sanctionis Origo. — 2. Quibus articulis contineatur. — 3. Ejus vices. — 4. Tandem in Concilio Lateranensi V. abrogata, substitutis in illius locum Concordatis Bononiensibus. — 5. Horum

1. Quemadmodum Provisiones beneficiales in Anglia, Germania, aliisque provinciis magnas excitarunt controversias, ita etiam in Gallia, colliso non raro Regno cum Sacerdotio; jam anno videlicet 1267. tempore Clementis IV. deinde in Concilio Lugdunensi II. a. 1274. rursus in dissidiis Bonifacii VIII. et Philippi Pulchri circa ann. 1304. denique in Concilio Basileensi. Cum enim hoc varia contra Romanorum Pontificum potestatem decreta edidisset, XXXVIII. ejusdem Canonum in catalogum relati, Carolo VII. Francorum Regi fuerunt a Concilio missi. Porro Rex in Bituricensi conventu ann. 1438. eisdem Basileenses Canones recepit, ac famosa illa Gallorum *Pragmatica Sanctione* firmavit, deinde in Senatu Parisiensi promulgata. Juvat illius articulos summam afferre.

(2. I. Papa singulis decenniis Concilium celebret. Si negligat, Patres suppleant.

II. Basileensis Concilii perpetua sit auctoritas.

III. Prælaturas electivas Papa non reserve, neque Canonicatus, nisi casibus in jure scripto expressis.

IV. Electiones sint omnino liberae.

V. Electionis forma servetur: electus vero a Prælatibus confirmetur.

VI. Papa huic Sanctioni non deroget. Si faciat, deferatur ad Generale Concilium.

VII. Si electio sit irrita, Electoribus altera relinquatur. Electus ab immediato superiore confirmetur.

VIII. Generali Concilio etiam Papa obediat, quatenus fides, et schismatum abolitio postulat.

IX. Concilii decreta a Christo auctoritate protinus obtinent.

X. Ecclesiis digni præficiantur.

XI. Expectativis gratis non sit locus.

XII. Beneficia, vivo rectore, nemini reserventur.

XIII. In qualibet Ecclesia Episcopali Theologus constituatur.

XIV. In conferendis Beneficiis Graduati præferantur.

XV. Hi nomina sua offerant.

XVI. Collatio prima aliis facta nulla esto.

XVII. Nemo quatuor dierum itinere Roma dissitus, in Jus Romam vocetur, nisi in Causis majoribus.

XVIII. Appellatio fiat ad immediate superiorem. Exemptorum vero causam Papa Judici regionis committat.

XIX. Qui inaniter ante sententiam appellat, 25. florenos pendat, præter litis expensas.

tionum, vel elargitionum in favorem Ecclesiarum non sit suscepturus.

summa. — 6. Variæ in illa quærelæ, sed inutiles. — * 7. Hæc Concordata vigerunt usque ad annum 1789. — 8. Concordatum anni 1801. — 9. Conventio dicta Fontis bellaquei. — 10. Concordatum cum Ludovico XVIII.

XX. Triennalis possessio quieta non amplius turbetur, nisi impedimentum justum obstiterit, quominus potuerit possessor impeti.

XXI. Cardinales sint tantum XXIV. docti, XXX. annorum, legitimis natalibus.

XXII. De dignitatibus ac Beneficiis Ecclesiasticis nihil prorsus, neque annatam, neque primitias Pontifex exigat: secus irrita est provisio, et pœna Simoniacis debita infligatur. Scribis tantum, et notariis merces solvatur.

XXIII. Res divina sancte, ac devote peragatur.

XXIV. Qui tantum in aliqua horarum est præsens, non fruatur distributione quotidiana.

XXV. Hoc etiam ad Decanum et Præpositum extendendum.

XXVI. Idem de garrientibus, aut deambulantibus in Ecclesia.

XXVII. Insuper unius mensis stipendiiis priventur.

XXVIII. Tabula officiorum hebdomadali in Choro sit appensa.

XXIX. Symbolum integrum canatur.

XXX. Camœnæ vulgi in Ecclesia ne canantur.

XXXI. Missa non celebretur sine Ministro, illaque alta voce legatur.

XXXII. Canonici debita non solventes statuto tempore, interdicatorum Divinis, et trimestri Ecclesiæ stipendio.

XXXIII. Solemnibus diebus nullum celebretur Capitulum.

XXXIV. Profana facessant ab Ecclesia.

XXXV. Clericus, concubiniarius post secundam sanctionis istius promulgationem non respiciens, tribus mensibus beneficii fructibus careat.

XXXVI. Hæretici non denunciati non sunt vitandi.

XXXVII. Nulli communitati sacris interdicitur, nisi per se ipsam, aut per magistratus suos deliquerit.

XXXVIII. Non credendum literis, quibus scribitur, quempiam beneficio suo se abdicasse, nisi testibus id, aut documentis idoneis, comprobetur.

(3. Hæc sunt Pragmaticæ Sanctionis Gallicanæ capitula, ex Concilio Basileensi prognata. Quamvis autem Rex Carolus ista receperit, ac promulgavit, quoad ea tamen, quæ Conciliabulum egit in deponendo Eugenio IV. Pontifice, noluit consentire, quinimo ad exturbandum illud conventiculum Ludovicus filium ad fines Basileensium misit, qui

eruento prælio Helvetiorum copias fudit. Neque tamen his flexi sunt Romani Pontifices, quin Pragmaticæ Sanctioni omni conatu obsisterent. Ac Ludovicus quidem XI. an. 1462. Sanctionem illam rescidit, veluti seditionis, et schismatis tempore cusam ad Sedem Apostolicam infringendam auctoritatem, urgente Pio II. cui illam abrogationem Ludovicus promiserat, si quiete ad Regnum perveniret. Verum cum Galli Sanctionem Regno admodum utilem dicerent propter abolitionem appellationum, reservationum beneficiarum, gratiarum expectatarum, ac præsertim Annatarum, per quas multum pecuniæ e Regno exportari querebantur, eadem Ludovicus ipse permittere debuit, Carolus autem VIII. prorsus instauravit.

(4. Sed tandem a Francisco I. qui cum Leone X. hac de re pactionem Bononiæ inierrat, abrogata omnino fuit, illique suffecta Concordata, quæ Bulla Leonis X. *Pastor æternus* in Concilio Lateranensi V. sess. XI. a. 1516. promulgata exhibet.

(5. Novemdecim ea Concordata articulis constant, quorum summa hæc est:

I. Conceditur Regi jus nominandi, seu præsentandi ad Ecclesias Cathedrales, et Abbatiales intra sex menses idoneum, qui gradu Theologiæ, vel Juris Canonici in celebri aliqua Academia sit insignitus, prævio riguroso examine, et saltem 27. ætatis annos habentem. Quod si Rex idoneum Pontifici nominaret, aut præsentaret instituendum, poterit Rex intra tres menses a die Pontificiæ recusationis numerandos, alium Pontifici nominare. Quo finito tempore pertinet ad Sedem Apostolicam Ecclesiæ providere. Reservantur etiam Pontifici vacantia apud S. Sedem. Aliter factæ provisiones sunt irritæ: exceptis tamen personis Regii Sanguinis, et Religiosis mendicantibus, in quibus nominandis non omnia prædicta requiruntur.

II. Pariter in Monasteriis, et Prioratibus Conventualibus, et vere electivis, secundum formam Capituli *Quia propter*, deinceps nominatio Abbatis, Prioris, aut Prælati ad Regem pertineat. Qui intra sex menses Pontifici præsentabit idoneum ejusdem Ordinis, ad minimum 23. annorum. Alias recusari poterit.

III. Salvis tamen Privilegiis a S. Sede specialiter concessis alicui Ecclesiæ eligendi proprium Prælatum.

IV. Tolluntur gratiæ expectativæ, et speciales, vel generales reservationes ad vacatura beneficia.

V. Si statuta requirant ut obtenturus dignitatem sit Canonicus, observabitur.

VI. Unus Canonicatus detur Theologo docti.

VII. Tertia pars Beneficiorum detur graduatis ab ordinariis Collatoribus, et Patronis Ecclesiasticis. Unde statuuntur menses pro graduatis præsentandis, et alii menses pro aliis.

VIII. Decernuntur multa circa personas graduatas, tempus studii, Testimonia Academica, ordinem dignitatis, etc.

IX. Parochiæ Urbicæ solis conferantur graduatis ex Theologia, vel Jure Canonico.

X. Quilibet Pontifex semel in vita sua possit literas dare in forma mandati; ita ut collatorem X. beneficiorum in uno tantum beneficio, collatorem vero L. beneficiorum in duobus tantum beneficiis gravare possit.

XI. Causæ omnes (exceptis majoribus, in Jure expresse Pontifici reservatis) a Judicibus, qui de jure, vel consuetudine, vel privilegio, aut præscriptione cognitionem habent, terminari debent.

XII. Appellationes justæ fiant ad immediate superiorem, ita ut ne ad ipsam quidem S. Sedem fieri possint, præteritis Judicibus mediis. Ante sententiam vero definitivam absolute non potest appellari; nisi gravamen tale esset illatum, quod in definitivo sanari non posset: et tali etiam casu non nisi ad immediate Superiorem potest appellari.

XIII. Si exempti a Jurisdictione Judicum Ordinariorum, seu immediate subjecti Sedi Apostolicæ ad eandem duxerint appellandum, per rescriptum Papa committat causam Judicibus delegatis in Gallia: a quibus appellari non possit, nisi in casu denegatæ justitiæ, aut metus injuste incussi. Cardinales tamen, et officiales Pontificis in hoc non comprehenduntur.

XIV. Lites Beneficiales intra biennium terminentur.

XV. A duabus Sententiis interlocutoriis, et tribus definitivis conformibus ulterius non appelletur: sed mox ad executionem procedatur.

XVI. Qui per triennium possedit Beneficium pacifice, et cum titulo colorato, neque in petitorio, neque in possessorio amplius molestetur, ne ratione quidem instrumenti noviter reperti, nisi violentus fuerit ingressus, aut pars altera justum impedimentum reclamandi doceat. Nullum tamen tempus illum juvat, qui sine titulo Beneficium possidet.

XVII. Concubinitus tamquam Divino præcepto omnibus vetitus, ac præsertim Clericis, severe prohibetur.

XVIII. Interdicta localia non ferantur propter culpam privatæ personæ.

XIX. Hæc Concordata vim habeant veri contractus, utrimque obligantis.

(6. Fuerunt hæc Concordata in Senatu Parisiensi promulgata anno 1517. rem urgente Rege, etsi ad hoc invitatus Senatus devenit, Academia quoque Parisiensis ab hisce Concordatis ausa est futurum generale Concilium appellare; quin etiam non semel Clerus Reges exstimulavit, ut rescissis Concordatis Pragmaticam Sanctionem restituerent. Quieverunt tandem turbæ, atque experimento compertum est, non pauca ex Concordatis commoda in Gallicanam Ecclesiam redundare. Vide Thomassinum *par. 11. lib. 1. cap. 45. num. 9. seqq.* et Natalem Alexandrum *in hist. Eccles. Sæc. XV. et XVI. diss. XI. artic. 6.*

(7. Supradicta Concordata vigerunt per tria fere sæcula usque ad annum 1789. quo tempore illa natio seducta erroribus principis tenebrarum divina humanaque pedibus conculcavit, et adeo in insania profecit, ut etiam Religionem omnem excluderet, et Sacerdotes Dei interfecerit. (8. Sed paucos post annos, dissidiarum perturbationibus nondum extinctis, ille, cui favit fortuna inter discordias intestinas et bella, haud ignarus quantæ virtutis Religio esset ad restituendum ordinem civilem, ad sedandos animos, et ad sublevandum ipsum in locum, quo destitutus fuit Ludovicus XVI. rogavit Vicarium Christi in terris, ut mitteret Legatos suos Parisios, qui præpararent novam Conventionem inter S. Sedem et illam nationem. Pius VII. desiderans pacem Ecclesiæ non dissimulavit voluntatem suam reducendi errantes in sinum S. Matris, et promisit, ut pote necessarium ad temporum indolem, relaxare rigorem ecclesiasticæ disciplinæ; immo, ut negotia citius et sine impedimento expediri possint, publicavit Breve ad Archiepiscopos et Episcopos, quo ipsos ad voluntariam renuntiationem suarum Sedium induceret. Articulus hujus Conventionis non afferemus, quia abrogata iis fuit per subsequentem novam Conventionem inter Apostolicam Sedem et Ludovicum XVIII. (9. Sed nec hæc Conventio restituere potuit pacem afflictissimæ Ecclesiæ Gallicanæ, cum imperans majori parti Europæ, victoriis suis elatus, ipsam Ecclesiam suis legibus subjici conaretur, quo in consilio illi obstabat constantia invicti Vicarii Jesu Christi in terris; qui tandem iterum atque iterum requisitus, cum in Galliarum regno patrimonio Ecclesiæ spoliatus detentus esset, promissionibus pro bono Ecclesiæ ab Imperatore inductus approbavit certis sub conditionibus novam Conventionem, et eam subscripsit cum clausula *servatis servandis*. Sed ille spretis conditionibus Conventionem istam absolute approbatam a Summo Pontifice contra promissionem datam publicavit; unde nullius valoris extitit ob defectum consensus alterius partis. Et hæc est Conventio dicta *Fontainebleau*).

(10. Pace tandem post bellicifuroris tempestatem recuperata, et Ludovico XVIII. avito solio reddito, Pius VII. Summus Pontifex omni cura intendit, ut plagas Gallicæ Ecclesiæ sanaret, atque Religionem Catholicam in eo regno in pristinum splendorem restitueret, quare novam Conventionem cum Rege inivit, et decimoquarto Kalendas Aug. 1817. eandem publicavit tenoris sequentis.

ART. I. Concordatum inter Summum Pontificem Leonem X. et Franciscum I. Francorum Regem initum restituitur.

ART. II. Consequenter ad Articulum præcedentem Concordatum diei 15 Julii anni 1801. suum effectum habere desinit.

ART. III. Articuli Organici nuncupati, qui inscia Sanctitate Sua conditi, ac sine ullo

ejus assensu die 8. Aprilis anni 1802. una cum supradicto Concordato diei 15 Julii anni 1801. promulgati fuerunt, abrogantur in iis, quæ adversantur Doctrinæ et Legibus Ecclesiæ.

ART. IV. Ecclesiæ, quæ in Galliarum Regno per Apostolicas Sanctitatis Suae literas diei 29. Novembris anni 1801. suppressæ fuerunt, denuo erigentur usque ad eum numerum, qui, ut pote Religionis bono magis proficiuus, mutuo consensu præfinietur.

ART. V. Cunctæ Archiepiscopales, et Episcopales Ecclesiæ Regni Galliarum per memoratas Apostolicas literas diei 29. Novembris anni 1801. erectæ una cum earum Titularibus actualibus conservantur.

ART. VI. Præscriptum præcedentis Articuli circa conservationem eorundem Titularium actualium in Archiepiscopalibus, et Episcopalibus eorum Sediibus nunc existentibus in Gallis, impedimento non erit peculiaribus aliquibus exceptionibus, quæ gravibus, legitimisque causis nitantur, neque officiet, quominus aliqui ex Titularibus prædictis ad alias Sedes transferri possint.

ART. VII. Dioceses Ecclesiarum, quæ in præsens exstant, itemque aliarum, quæ erigendæ sunt, exquisito prius ab actualibus Episcopis, et Capitulis Sedium Vacantium consensu, iis finibus circumscribentur, qui ad utiliorem ipsarum administrationem magis expedire dignoscantur.

ART. VIII. Conveniens dos cunctis tam existentibus, quam denuo erigendis Ecclesiis in bonis stabilibus, ac in redditibus super Regni debito fundatis, vulgo *Rentes sur l'Etat*. quamprimum fieri poterit, constituetur, assignato interim earum Pastoribus reddito in ea quantitate, quæ statum eorum meliorem reddat.

Pari ratione consuletur Dotationi Capitulorum, Parœciarum, et Seminariorum tum existentium, tum erigendorum.

ART. IX. Sanctitas Sua, et Majestas Sua Christianissima agnoscunt mala omnia, quibus Galliarum Ecclesiæ affliguntur. Perspiciunt etiam, quam fructuosum Religioni futurum sit, celeriter augeri numerum Sedium actu existentium. Ne proinde tam magna utilitas diutius retardetur, Sanctitas Sua per Apostolicas Literas ad Sedium erectionem, et novam Circumscriptionem Diocesium supra memoratarum sine mora procedet.

ART. X. Majestas Sua Christianissima novum præbere volens sui in Religionem studii testimonium, omnia, quæ in sua potestate sunt, collatis cum Sanctitate Sua consiliis, præstabit, ut mala, et impedimenta, quæ Religionis bono, et legum Ecclesiæ executioni adversantur, quam citius fieri poterit, removeantur.

ART. XI. Antiquarum Abbatiarum Nullius Diocesis Territoria iis Diocesis unientur, intra quarum fines in nova circumscriptione comprehensa reperientur.

ART. XII. Redintegratio Concordati, quod in Gallia observatum fuit usque ad annum 1789. (Articulo primo hujus Conventionis

stipulata) Abbatiarum, Prioratum, et aliorum Beneficiorum, quæ tunc existebant, redintegrationem secum non feret. Beneficia tamen, quæ in posterum fundari contingat, regulis in supradicto Concordato præscriptis subjecta erunt.

ART. XIII. Ratificationes præsentis Con-

CONCORDATA QUOAD BENEFICIA.

Vide verb. BENEFICIA, ART. 11. PER TOT.

CONCUBINARIUS, CONCUBINATUS.

Vide verb. ABSOLUTIO, ART. 2. A N. 11. verb. LUXURIA N. 7. et verb. POENA, ART. 2. A N. 74 et 81.

CONCURSUS.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I.

1. Concursus, ut legitime, et canonice fiat, servanda est dispositio Sacrorum Canonum, et Apostolicarum Constitutionum, et Decretorum, et signanter dispositio Concilii Tridentini, Sancti Pii V. et Clementis XI. — 2. Afferitur dispositio Concilii Tridentini. — 3. Afferitur dispositio Sancti Pii V. — 4. Datur dispositio Clementis XI. — 5. Afferitur compendiose novissima dispositio Benedicti XIV.

ARTICULUS II. Ad quem spectet edihere, ac facere Concursum, et quinam debeant, et possint ad illum admitti?

1. Concursum edicere spectat ad Episcopum, seu Ordinarium. — 2. Episcopus tamen non potest solus facere Concursum, quando habet Vicarium Generalem sibi Roma missum, sed assistere debet etiam Vicarius. — 3. Et si Vicarius sit Apostolicus, ad ipsum solum, non ad Episcopum, pertinet facere Concursum, sicut et Synodum, et declarare magis idoneum. — 4. Immo, si Episcopus reperiretur suspensus a Jurisdictione, et haberet præservatum Jus conferendi Beneficia, non possit ex approbatis in Concursu Parochialis digniorem præeligere; sed hoc Jus pertineret ad Vicarium Apostolicum. — 5. Edicta pro Concursu habendo ad Parochiales vacantes, quarum collatio pertinet ad inferiores Prælatos, qui non habent Territorium distinctum, nec jus congregandi Synodum, debent publicari ab Episcopo, in cujus Diocesi Parochialis existit: vel ab alio, qui est vicinior, si sit Nullius, et coram eo Concursus fieri, et ad ipsum Episcopum ex dignis digniorem eligere, et inferiori Prælato pro collatione, seu institutione remittere spectat. — 6. Et Prælati inferiori habita significatione, non poterit conferre alteri quam prælecto ab Episcopo. — 7. Abbas, seu Commendatarius, vel alius Prælati Episcopo inferiori, non potest Concursum et examen instituere ad Parochiales existentes intra fines suæ Jurisdictionis, et collationis, quando non habet potestatem congregandi Synodum, et actu non congregat, sed hujusmodi Concursus, et examen spectat ad Episcopum, intra cujus Diocesis fines existit Abbas; et si non constat intra cujus Diocesis fines existat, id spectat ad Episcopum viciniorem. — 8. Abbates tamen, seu Commendatarii, alique Prælati Episcopo inferiores, qui omnimodam habent Jurisdictionem quasi Episcopalem, et propriam habent Territorium, si habeant Jus congregandi Synodum, et legitime constet illam congregasse, et elegisse Examinatores, possunt Concursum instituere, et omnia ad id necessaria facere. — 9. Et hoc in specie competit Abbati Montis Cassini. — 10. Episcopus manutenendus est in sua quasi possessione instituendi Concursum, donec Prælati inferiori coram Judice competente legitime probaverit Jus cogendi Synodum habere, il-

ventionis mutuo tradentur unius mensis spatio, aut citius si fieri poterit.

ART. XIV. Statim ac prædictæ Ratificationes mutuo traditæ fuerint, Sanctitas Sua per Apostolicas Literas præsentem Conventionem confirmabit, ac deinde aliis Apostolicis Literis Diocesium fines circumscribet.

lamque alias coegisse, in æque Examinatores ad præscriptam Concilii formam deputasse. — 11. Unde Episcopus Forosempronienis uti viciniore, manutenendus est in sua quasi possessione Concursum instituendi in vacationibus Ecclesiarum Parochialium della Ravignana; donec Abbas Classen. legitime probaverit habere tale Jus. — 12. Concursus, qui in vacationibus Parochialibus fieri solet coram Episcopo viciniore, si occasione pestis Civitas illius sit bannita, et aditus præclusus ad eundem Ordinarium viciniorem, potest prorogari. — 13. Concursus edicta Ordinarii proponere debent in Beneficiis Curatis reservatis Sedi Ap. vacantibus per obitum. — 14. Episcopus instituens Concursum ad formam Concilii, non potest ut suspectus recusari: sed qui se existimaverint gravatos, appellare poterunt a mala Ordinarii electione, seu Judicio, ad effectum devolutivum, non suspensivum. — 15. Vicarius Generalis Episcopi potest, Episcopo impedito, proponere Edictum pro Concursu, et coram se examen indicere. — 16. Immo multi tenent examen Concursus posse fieri coram Vicario Generali, etiam Episcopo non impedito. — 17. Quinimmo potest Vicarius Generalis proponere edictum pro Concursu, etiamsi ipsemet velit examen subire, et Episcopus illi sit Ecclesiam ipsam vacantem collaturus. — 18. Sic etiam Vicarius Capitularis potest Concursum ad Parochiales vacantes, tempore Sedis vacantis, facere. — 19. Capitulum nullam habet auctoritatem in his examibus, sed debet constituere officialem, seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi. — 20. Is Vicarius sic constitutus potest obire illa omnia, quæ obeunda essent ab Episcopo, et debet indicere Concursum, uti faceret Episcopus. — 21. Deinde examinare debet Concurrentes, adhibitis saltem tribus Examinatoribus, quorum votis, si paria, aut singularia fuerint accedere poterit ipse Vicarius, quibus magis ei videbitur. — 22. Idem Vicarius debet curare, ut singulis annis a Diocæsana Synodo probentur Examinatores saltem sex. etc. — 23. Novus semper Concursus, et novum examen, novaque approbatio requiritur singulis vicibus pro quacumque Parochiali vacante; nec sufficit unus solus Concursus pro pluribus Parochialibus. — 24. Examinatores ex pluribus examinatis, non unum solum, sed plures, quos judicaverint idoneos, significabunt Vicario, et ex istis solus Vicarius eliget, quem ceteris magis idoneum judicaverit. — 25. Hæc enim facultas nullo modo Examinatoribus competit. — 26. Ipse solus Vicarius absque Examinatoribus scribit Literas ad Sanctissimum D. N. — 27. Ad quem Collatio Parochialis spectabit. — 28. Capitulum, aut Decanus Cathedralis non potest indicere Concursum, nec alia ad id necessaria obire, sed omnia spectant ad Vicarium Capitularem. — 29. Multo magis idem Capitulum abstinere debet a conferendo Parochialem vacantem in Commendam temporalem et, qui magis idoneus fuerit judicatus. — 30. Maxime etiam cavere debet, ne concedat omnes fructus ipsius Pa-